tam doctos choregos exhiberent: nec tam indocilis
est ut à spectatoribus pro exhibito ludo strenam, aut
munusculum exporrecto pileo exigat, et si parum
iniectum adverterit, ut largior reddatur merces
capite et gestibus quibusdam annuat. alia docilitatis
eius testimonia cum obvia sint, et plura superius
à me dicta hic reticebo. Iam verò pijssimum
quis non fateatur, cum pietatis genus penè nullum sit,
in quo ipse laudem non maximam mereatur? Est enim
pacificus, et concordiae studiosissimus; operibus
charitatis, ac dilectione erga proximum Tobiae non
inferior; Sanctos honorat; Agit poenitentiam
de reatibus; est pastor vigilans; ultor impietatis;
defensor virtutis; famulo Centurionis in obediendo
aequalis si non superior. Amantissimum pacis, ac
concordiae intelligunt omnes, qui Ursum viderunt, nec
eum ad discordiam suâ importunitate concitarunt,
experiuntur hoc praecipuè Populi Baccalai, et testatur
vir gravissimus Sebastianus Gabottus venetus: apud
quos Ursus sine ullis iniurijs hominum, aut damnis,
communi cum eis commertio, ijsdem compitis, solo, por-
ticibusque degit, ac mutuam colit pacem, adeò ut is, qui
caeteris bestijs virium robore non cedit, facilitate, ac
mansuetudine parem se pueris faciat. Quis enim
misericordiae, charitatisque operibus maximè praeditum